



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. IX. Argumentum. Mors Telemachi incassum postulata à Iove per
Venerem. Error à Neptuno immisus Athamanti rectori Tyriæ navis. Pro
Ithaca ducti Salentum. Idomenei Regis in advenas humanitas. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

abfimiles homini, qui, quamquam firmis cruribus ac difficillimo fuffecturis itineri, ipfa defuetudine eundi paulatim opus habet agrotantium more aliena opera, cum concedendum est aliquod, uti. Atque ipsam quidem nauticam videntur non odiffe. Admirantur industriam, & quo à nobis exercetur, ingenium. Eam ipsam tamen parum felicem existimant esse. Rationem hanc ineunt: necessaria vivendi auxilia si sufficiat domesticum solum, quid excurritur ad extraneum? aut ultra exigendum, quam naturæ sit satis? digna hercle naufragio cupiditas, quæ ut mercantium avaritiam exfatiet, ut libidinem nutriat ceterorum mortalium, exitium inter terrores pelagi consecratur.

Hac Adoami narratione magnopere delectabatur Telemachus. Exultabat, adhuc dum esse, quos ad tantam sapientiam & felicitatem magisterium sanæ rationis evexisset. Quam longè & quam bellè, inquit, id hominum genus ab ita moribus frigidis & plenis ambitione illarum gentium, quibus summam alioquin laudem sapientiæ deferimus! sed tanta iam est animorum nostrorum ex infelici consuetudine perversitas, ut nobis persuaderi alia patiamur omnia, quam non fallere, quæ de hac naturali simplicitate referuntur. Nobis illorum quidem mores festivum acroama sunt; at illis, puto, vita nostra videtur nocturnæ speciei portentum.

TELEMACHUS.

LIBER IX.

DUm his sermonibus implicantur, soporis & ad medium proVectæ noctis obliti; immisso
ab

ab infesto quodam Numine errore longiùs ab Ithaca navigium deflectitur; factumque, ut, qui ad clavum sedebat, Athamas operam in ea perderet perquirenda. Equidem Neptunus non averfabatur Tyrios. Ceterum turbini exemptum Telemachum evasisse in Calypso oram vehementer indignabatur. At longè vehementiùs exarsit Venus, aspiciens gestientem Telemachum ob devitas illecebras, quas tanta, sed inutili arte Cupido admoverat. Itaque ipso doloris æstu Cytheram, Paphon, Idaliamque deserit, splendidissimos honores insulæ suæ destituit; locosque averfata, in quibus Telemacho fuisset despiciatui, in Olympum enititur ad aggregatos Iovi Deos. Is locus est, unde astrorum infra se arbitrantur cursum. Longè latèque explicata & quasi immensa continens ipsis massa luti eaque permodica videtur esse. Univerfus Oceanus, quem nullum ingenium metiatur, nullaque industria, non alium illuc quam guttarum transmittit speciem, dictam massam non largè rigantium. Amplissima regna inde despicientibus apparent quasi arenulæ, quibus continentis illius luti planicies obferitur. Illam innumerabilem multitudinem populorum, illos fortissimos & numero superiores exercitus formicis comparant Dii, ad occupandum graminis cauliculum super tumulo, ex stillis cœnofo, prosilientibus ad bellum. Rident cœlestes animi vel gravissima negotia, quibus conflictatur humana fragilitas, utpote affinia rebus, quas amat pueritia. Ieiunitatis inopiæque damnant, quidquid sive gloriæ ac dignitatis titulo sive potentiæ civilisque doctrinæ nomine ambitiosis mortalibus grandescit.

Atque hoc, de quo diximus, loco Iovem æterno residentem folio colunt. Ille etiam abyssos pervadit intenta acie oculorum, qui abstrussum latebris cordium impertiuntur diem. Fronte serena mitique abstergit, turbare quæ possint, & hilaritatem orbi aspergit universo. Contra cælos quatit vel leviter moto vertice, terrasque perturbat. Quin attoniti ad fulgorem maiestatis eius, contremiscunt subeuntes Dii.

Et forte tunc adierat Venus, cum nullum vacaret cælestis Curia subsellium. Iam nihil celabat venustatum, quibus Dea pulchritudinis noscitur inter ceteras. Premebat nitoris varietas in fluente Deæ tunica versicoloris Iridis superbiam, quacum atris ex nubibus emergit hoc pignus pacati cæli, mitiorumque ab astris vicium nuntia. In Zona, quam circumdederat tunicae, Gratias divinum artificium distinxerat. Neque temere vagabantur ab humero capilli, simpliciter circumeunte fascia ex auro. Obstupescabant Dii ad tantæ pulchritudinis ceu tunc primum visum miraculum: perfringebatur attonitus oculus, non secus atque obrundi solet acies post diuturnas tenebras subito intuentis in solem. Aberrabant in mutuos aspectus, ducente admiratione: sed & rursus colligentes semet revertebantur ad tantæ voluptatis spectaculum. Ceterum animadversæ manantes lacrimæ, dolorque ingens non occultè in hanc peccare formam.

Interea Venus Iovi leniter appropinquabat levique motu, qualem in aëre describunt, quæ polent præpete volatu. Ille amanter intuens venientem, confurgensque dulci cum risu, oblato amplexu:

plexu : Quid, gnata, doles? inquit. Movent hæ lacrimæ. Age! animum tuum audactet me doce. Amantissimum tuû &, quod nôsti, indulgentem Iovem habes.

Venus simul multa vocis suavitate, simul responsum commendans concinnis gemitibus: ô! omnium, quæ & sunt, & aguntur, conscie Divûm hominûmque Pater! causam petis doloris mei? Minerva non contenta scdissimo Troiæ tam illustris & meæ excidio, nec paratâ Paridi ob spretam formam pœnâ, in me grassatur longiùs. Per mare, per terras secum trahit Ulyssis filium, illius, inquam, qui immanem in modum confecit Pergama. Minerva Telemachi comes est. Hæc causa eius modò ab hoc consilio absentia. Illa ducente temere ingessit se in Cyprum meo ludibrio, pertinaciter spreta, qua tu me dignaris, potentia; recusatâ aris meis thuris vel tantilla particulâ; aperte damnatis celebritatibus, quibus ibidem litant mihi; reiectisque cum contemptu, quibus eum delinitum ibam, illecebris. Frustra ad preces meas molitus est Neptunus scelesto supplicium: frustra procellas, undarûmque commovit à fundo excitos cumulos. Eiectus in Calypsus insulam horribili naufragio, extorsit palmam, quem ad labefactandum animum illius miseram, Cupidini. Non flos ipse ætatis, non Calypsus Divina profectò species, non Nympharum etsi festivissima elegantia pares fuere Palladiæ astutiæ; tantùm abest, ut ignes quantumlibet acerrimi Cupidinis exusserint frigentem ad universa voluptatis incendia. Illa, illa exemit; exemit autem? imò eripuit iuvenem insulæ & mihi. En contumeliam meam! en
ludi-

ludibrium, genitor! puero palmam cedit Venus. Solatium afflictu circumspiciens Iupiter: fateor, inquit, Minervam nati tui arma repulisse à Telemacho, gloriámque ipsi maiorem præparare meritò iuventutis. Nec placet, honorem non habuisse altaribus tuis. Sed neque me penes est, tuo illum arbitrio, potestatique subiicere. Permitto tamen (vide, amabò, quid dem tibi) ut porro terra marique palatus, extra patriam sit & fortunæ etiam iniquiori obnoxius. Ceterùm ut succumbat vel vindictæ tuæ, vel, quibus captivas humanum genus, illecebris, hæc Dyphtera vetat. Itaque solatio tibi, filia, fatisque sit, tot alios heroës esse, tot cælestes, qui imperio tuo obsequuntur.

Inter hæc verba augusta lenitate arridens Veneri, fulgorem eiaculabatur ex oculis, qualem nubes acriùs collisæ præmittunt tonitruis. Flexusque ad imprimendum ei suavium, universi Nectaris odorem Olympo aspiravit. Non poterat tam blando Iove Dea non pati, ad teneritudinem suum deflecti animum. Apparebat ori asperfa hilaritas, quamquam dolentis ad fletum. Demissò itaque modicè velò subtrahebat vultum, ne constaret in verecundiam & perturbationem incidisse. Ceterùm talia dixisse Iovem approbabat præsentium communis & præter modum lætitia. Protinùsque Venus ad Neptunum decurrit de puniendo Telemacho habitura consilium.

Neptunus, auditis ex Venere, quæ ad illam Iupiter, aliàs constabat mihi, inquit, non immutari fata. Demus ab iis prohiberi iuvenis exitium. Ergo saltem nihil omittendum, ut infelix & diu peregrinus sit. Phœnicum navem, qua vehitur,
cùm

cùm in amore mihi sint, haud pariar mergi. Mea hæc gens, illi maxima Imperio meo incrementa adiiciunt. Illi discretas maribus terras vinculo iunxere commercii; alias cultores mei fidelissima religione, non fraudulenter quaestuosi, non temerè non segniter agentes, primique, per quos gentes angustè vivere & egere desierunt. Mea igitur pace numquam subibunt naufragium. Efficiam autem, ut gubernator navis, deerrans itinere, abstrahatur ab Ithaca, quam rectà petit. His acquiescens Venus cum maligno risu præpetem currum, quo utitur, reflectit in Idaliæ prata; reditumque eius Ioci Ritusque celebrantes cum Gratiis, venienti choreas per iucundam odoratis floribus humum circumdedere.

Iam Neptunus citra moram ablegabat, aberrationes creaturum, Numen, somniis haud absimile, nisi quòd illa imponant dormientibus, hoc vigilantium circumveniat sensus. Mendacia ingenti numero circumstrepunt, ad exitiabile Numinis sui imperium parata volatui turba. Tum quidem decipiendi initium à subtili & fascinato succo factum, quem Athamantis oculis Numen infudit. Forte is lunam toto lucis apparatu cursusque siderum & Ithacæ littus observabat cum cura. Iamque prærupti accessus insulæ subibant: cum totâ oculorum fallaciâ cœpit obrui. Aliud cœlum, aliam terram videt. Divertisse à soliti tenoris cursu opinabatur stellas, & rediisse, unde moveri cœperant; Olympum etiam à pristinis suis legibus terramque à se ipsa deflexisse. In moræ & erroris auxilium opposita ab illo Numine gubernatori inanis Ithacæ species, dum interim à vera Ithaca
magis

magis ac magis aufertur. Sed & ipsa imago ficti littoris insulæque recedebat, quanto propiùs premebatur à navigantibus; prævertebatque navigii cursum perseveranter fugitiva, Athamante utique dubio, quid de fugiente hac Ithaca cogitaret. Videbatur ipsi quandoque allabi fremitus, quo impleri portus consuevère. Iámque diligenter parabat se ad exsequendum, quod datum erat, imperium. Quippe ne Telemachum advenisse resciscerent coniurati Penelopes proci, ad minorem ab Ithaca insulam navigium iussus erat appellere. Interdum scopulorum metu, quibus hæc ora impeditur, credebatur se audire horribiles mugitus ex fluctibus, hinc plerumque ingenti mole allidentibus ad cautes. Deinde uno eodémque momenti intervallo sentiebat adhuc distare littus. Subitòque hac existente locorum distantia altissimi montes nubecularum præferebant speciem, quibus, occidente sole, desinens in terras Horizon intercipitur. Ergo stupere Athamas, immissisque præstigiis fictarum imaginum, occupari, ut numquam ante hoc tempus, animò; credere demum se nocturno viso trahi. Hæc dum fiebant Tyriis, à Neptunorio Euro datur, promovendi ad diversam Hesperia oram navigium. Eo itaque ad imperata incumbente non segniter, paulò post decretum à Neptuno portum tetigère.

Iámque Aurora promicabat in diem, stellæque solis metu invidiæque ignes suos parùm integros inferebant Oceano: cùm Athamas. Quid hæreo, exclamat? Ithaca prope est. Eia Telemache! non abiverit hora, cùm videbis Penelopen & forte restitutum Ulysses folio.

Inter

Inter hunc clamorem cohortantis excitatus à gravissimo sopore Telemachus ad gubernatorem ascendit; primisque nuntiis charum amplectitur, vicinam oram fixis oculis, quantum scilicet nondum satis extersus somnus permittebat, intuetur. Ut autem vidit, non his littoribus, non his crepidinibus præcingi Ithacam, solutus in gemitum: Ah! ubi sumus? inquit. Non hæc mea Ithaca. Errâsti, Athaman! minùs certè peritus es huius procul à Phœnicibus dissiti littoris. Excepit in sermone iuvenem Athamas: næ portentum sit me falli, hanc primam insulæ faciem si inspicio. Ut non semel intravi hunc portum! scopulos venientibus obiicit, ex quibus nec minimum ignoro. Vix patrium portum isto fidelius mihi depingit memoria. Vide hunc montem, præaltum, hanc rupem turris altitudine! accipe sonantes fluctus ex afflictu ad alteram rupem. Ut ambæ quasi lapsum minitantur subeunti pelago! en Minervæ templum educatum ad nubes! en arces! & Ulyssis regiam!

Falleris, amice, Telemachus regerit. Imò oram video, plurimùm & sine rapium impedimento incubantem mari. Urbem aspicio, ah! quàm diversam ab Ithaca. Siccine à Diis mortales ludimur?

Dum hæc cum affectu iuvenis, Athamas defubito mutatis oculis & cessantibus præstigiis oram & ipse sine errore aspexit. Itaque certus fraudis: Fateor, Telemache, exclamat, curam meam fefellit inimicum Numen. Putabam me videre Ithacam, obversante integerrima imagine eius, quæ hoc puncto temporis veluti nocturna species dilabitur. Aliam urbem prospicimus; ut credo, Salentum,

lentum, quam ex Creta pulsus Idomeneus nuper moliri cœpit in Hesperia. Subeunt muri, eminentes in altum, nondum accepta ultima manu. Portum intueor adhuc præcingendum munitionibûs.

Interea dum Athamantem detinet operum cœptæ urbis novitas, vicinque suam deplorat Telemachus: factum urgente vento, quem Neptunus invexerat, ut passis plenisque velis proximè portum admoverentur vadossæ crepidini, satîs in stationem navium tutæ.

Constabat Mentori tam Neptuni invidia, quàm Veneris dira calliditas; nihilque movebatur ad Athamantis errorem, excepto leni risu. Nave in dictum à littore subvêcta locum: tentaris à Iove, inquit, o Telemache! non destinaris exitio. Tentaris autem, ut iter tibi sternat ad gloriam. Labores Herculis, labores genitoris tui cogita; neque hanc cogitationem umquam depone. Imbellis & vecors est, pati qui renuit. Fortunam, cui molestiæ tuæ, iucundæ sunt, patiendô fatiges oportet & agendô fortia. Malim Neptunum irasci tibi, quàm blandiri in insula sua Deam. Quid moramur? quin intramus hunc portum. Amicorum is est. Græci nimirum tenent. Idomeneus, quem tam atrociter fortuna afflixit, miserebitur eorum, quos premit eadem. Tum successum est ad portum, in quem Phœnicis (gens quippe omnibus amica ob pacis commercii que fœdus) à Salentinis facile admissi.

Hic inspicere, admirari Telemachus initia novæ urbis. Sicuti planta, haud ita pridem auspicata radicem, tractis ex nocturno rore alimentis, acceptoque in rudimentum pulchritudinis matutini solis radio, adolescit: folli-
culum

culum, cui molliter involvitur, explicat: effundit cum vigore folia, odoratum denique florem penitus elicit admirabili varietate colorum, & pro intruendi momentis nitore adaucto: ita Idomenei oppidum efflorescens ad maritimam oram, adolescebat in dies horasque singulas cum incremento magnificentiae; prodigiosaque altitudine ostentabat procul meantibus in pelago exteris, quae ex novitate mirarentur ornamenta architectandi solertiae. Strepebat, quantum patuit, littus operarum clamoribus, malleorumque ictibus. Grues architecti vocant machinas funibus variè ductis attollentes onera. His appensa saxa trahebantur sursum. Incunte die evocata accensaque operariorum industria ab iis videlicet, qui stabant pro opere. Idomeneus, quaecumque volebat fieri, nullo internuntio exponebat ipse, effecitque auctor praesens, ut mira accuratone, & exquisito studio procederet inceptum opus.

Ceterum Cretenses facta exscensione strenuè exsequebantur, quidquid Telemacho & Mentori argumento esse poterat, venisse ad homines non mediocriter amicos. Properati ad Idomeneum nuntii, adesse Ulyssis filium. Et ille: Eho! Ulyssis filium? Ulyssis, amici mei, oraculi nostri, Herois, per quem destructa Pergama? huc mihi iuvenem! Faxo, intelligat, quam non ex vulgi more patrem suum dilexerim. Itaque protinus eum sistunt regi, pro hospitali benignitate supplicem & docentem nomen suum.

Idomeneus miti & solatium praeferente vultu: Agnovissem te, inquit, puto, etiamsi nomen patriamque tuam mihi non indicassent mei: Ipse hic

M

Ulysses

Ulysses est. Sic eius accendebantur, sic vigeant in impavidum aspectum oculi. Hi gestus fuere, & exterior habitus, cuius primùm moderatio & continentia admirabilem celabat alacritatem animi, ingeniùmque quo nihil amœnius: quin & ipsi risus ita temperati: hic modus agendi parùm sollicitus: hæc vox, ita dulcis, ita candida, illabensque in animos validius, quàm ut moram indulgeret suspendendi assensum ob erroris metum. Es, mehercle! es Ulyssis filius. Sed & meus eris. Ah fili! mi fili! quis ad hanc te gentem casus? profectus ad nos es investigandi patris causâ, de quo tamen ego nihil? illum, quàm me fortuna haud iactavit minùs. Infelix ille ob non inventam patriam, ob inventam ego; quippe quam Deorum in me indignatio replevit. Sub has voces in Mentorem intenderat oculum, credebátque eum hominem esse, cuius vultum nôset, nomen duntaxat reddere non amplius valeret memoria.

Ceterùm Telemachus multo fletu: Ignosce, rex, inquit, dolori meo, quem continere haudquaquam possum, etsi animum ad lætitiã cogere deberet regiæ benevolentia celebrandum beneficium! Tuum ipsius desiderium, quo Ulysses prosequeris, docet, quantum dolere ob frustra quæsitum genitorẽ filius debeam. Quæ freta non excussi; quæ maria, quas terras, & quam diu, ut invenirem? At per irata Numina carendum eius aspectu est; imò carendum vel nuntiis, qui de naufragio, quod aiunt fecisse, sinè errore edoceant; carendum ipsã denique Ithacã, ubi ex procorum insidiis desideria emergendi miseram Penelopen conficiunt. In Creta, ubi quam gravia sustinueris,
intel-

intellexi, speraveram tui me copiam habiturum, credidique nefas esse itinere meo tentare, in qua condidisti regnum, Hesperiam. Sed huc ad te extrusit nos fortuna, humanarum rerum arbitra & ne non procul à patria oberrem, pertinax obstaculum. Ceterum ex omnibus noxam mihi levissimam nocuit, cum huc perduxit loci. Reiiicit à patria; at conspectu me solatur rari inter magnanimos prodigii.

Hæc dicentem vehementissimè amplexus Idomeneus ducit in regiam, petens ab eo senis, qui comitabatur, nomen. Aliàs, inquit, hunc, puto, hominem, hanc prudentis viri speciem vidi. Docente Telemachio, Mentorem esse Ulyssi amicum, puero sibi custodem datum, assequi sermone eius in se merita non posse: Rex protinus flexus propiore vestigio, Mentori dextram offert, &: Fuit, inquit, cum invicem vidimus. Potésne referre animum ad profectioem in Cretam? subeuntne, quæ tum mihi suadebas utilia? Quæ ego, iuveniliter tunc æstuans & indulgens ludicris, risi: At demum magistra calamitate addidici, quæ, ut credibilia mihi essent, non optavi. Ah utinam admissem tuum exercitatæ senectutis consilium! Video autem & admiror, post tantâ tempora te mihi penè eundem reddi, nihilque deposuisse ex pristino habitu. Adhuc illa oris alacritas, adhuc ille vigor perseverat. Soli crines declinârunt in canitiem.

Mentor autem: Si rex magne, inquit, auribus confuevissem inservire, ipse pariter affirmarem, perseverare adhuc in ore tuo speciosæ iuventutis florem, quo illustrabare nondum Phægyibus in-

fensâ Græciâ. Sed displicere tibi, quàm imponere malim; quamquam sermones ipsi, quos cordatè profers, videntur odisse adulatorum lenocinia, utque non confidentius quàm sincerius agatur tecum, invitare. Non nullius me hercle operæ fuisset te ex vultu cognoscere, à se nunc tantopere diverso atque immutato; cuius quidem causam ærumnas tuas fuisse, satis intelligo. Sed fuere hæ tibi perutiles, quando animum tuum ad sapientiam instituerunt. Facilè tolerandæ sunt incumbentes ori rugæ, si, dum sensim illæ subeunt, ad solidæ virtutis exercitium continenter incumbit animus. Ceterùm corporeæ regum vires præ quàm aliorum mortalium profligantur, utpote quibus, dum premuntur adversis, curæ, & ægritudines animi, item illa, quæ corpus in lassitudinem dant, immaturam canitiem accelerant; dum prospere habent, voluptates, quàm bella, maiorem cladem afferunt. Nihil enim voluptate, quæ modum non tenet, damnosius. Hæc quippe facit, ut regum, seu pace seu armis utantur, eius sint generis tam labores quàm deliciæ, quibus in ætatis ruinam præter naturæ ordinem necesse est labi. Vita sobria, moderata, simplex, tranquilla, non cupiditatibus, non intemperantiæ obnoxia, & expers otii, viri sapienti, vigorem iuventutis tue-tur, infami temporis inconstantia alioqui mobiliorem.

Diutius Mentorem auditurus fuisset rex, sermonibus eius mirum in modum affectus; nisi interpellâssent admonentes de sacrificio, quod debebat Iovi. Itaque euntem eum sequebantur advenæ inter cuneos populi, quos utriusque lateri applicuerat

cuerat diligentius exteros spectantium aviditas. Hi homines, Salentini aiebant, admodum inter se differunt. Commendat iuniorum vigor ingens, & mores suaves ad miraculum. Ostentat, quidquid iuventus leporis ac venustatis habet. Neque verò declinat ad muliebrem languidamque elegantiam. Hi anni, quantumvis teneri præ se ferunt virilem animum, roburque in labores etiam diuturnos suffecturum. Contrà alteri ætas quamquam longè gravior nihil dempsit de integritate virium. Speciem eius vultumque minus quidem reverentur primi obtutus, amantque. At fixi è propinquo deprehendunt in eo numerosam animi probi & sagacis notam, indolemque admirabilem ab excellentia. Hercle isto peregrinantium habitu dissimulaverunt se futuri cum mortalibus Dii.

Ventum est interea ad templum. Magnificentissimum erat, ex Idomenei religione liberaliter colentis, ad quem genus suum referebat, Iovem. Marmoreæ columnæ, Iaspidis variatæ colore, geminum ordinem intus circumscribebant ædi, in argenteum quæque desinentes caput. Parietibus marmore vestitis applicabantur imagines dimidiâ eminentiâ, quæ Iovem tauri specie eâque arte referebant raptâ Europâ transmittentem in Cretam, ut videretur undis etiam hoc habitu imperare. Aliæ deinde nascentem Minoem imitabantur, adolescentem aliæ. Nonnullæ demum exhibebant valentioribus annis infuæ suæ leges dantem in perpetuum incrementum felicitatis. His adiuncta visebantur, quæ obsessis Pergamîs ad digniorem posteritatis memoriam contigere, Idomeneo egregii laudes ducis inde consecuto. Inter hæc prælorum re-

rumque belli gestarum simulacra Telemachus genitorem requirebat. Viditque hic Rhœsi tum forte à Diomede interfecti abducentem equos, ibi congregatis universis Ducibus cum Aiace ob Achillis arma; aliàs ex fatali equo in Troianas clades proficientem.

Hæc cum & frequenti tunc volverentur sermone, & ipse Mentor etiam denarrasset Telemacho: quàm mox in cognitionem genitoris duxere. Ibat tum videlicet in lacrimas, mutatoque vultu præferebat perturbationis notas; quod cum Idomeus adverteret, etsi ad tegendum dolorem aversò Telemachò: Ne erubescas, rex inquit, gloriâ genitoris tui fortunâque etiam apertè & palàm nobis commoveri.

Religioso domicilio columnæ gemina serie descriptæ, circumdant ingentis laxitatis porticus. Subter has interea confluens populus stipabatur in turmas. Adiuvabant publicam pietatem cantiones quædam, in laudem depromptæ torquentis fulmen. Pueri, puellæque modulabantur divisi in choros sui sexus, atque ad id muneris ob meliorem formam selecti. Sparserant promissum in humeros capillum, cui ornamentum rosæ præstabant, in sertum textæ, & capitibus odore delibutis impositæ; candidæque vestes erant, quibus singuli induebantur. Centum tauri in sacrificium, adhibiti à rege, propitiante Iovem, ut assisteret bellum molito finitimæ genti. Auræ argenteæque pateræ erant & depressioris alvei, quibus ex victimis sanguinem excipiebant sacrificuli, ubique vapores recenti nidore diffundentem.

Erat Theophanes ætate profecta, amicus Deorum,

rum,

rum, rei Divinæ in templo præpositus. Hic, cùm cædebantur victimæ, caput orâ purpureæ tunicæ velaverat. Tum ad inspicienda adhuc palpitantia exta progressus, super divum tripodem sedit, protinusque: Quos huc misistis Dii, quinam hi advenæ? Qui si abessent, belli nostri funestus fit exitus, Salenti præsens ruina, priusquam initia sua extra fundamenta extulerit. Video Heroëm iuvenem. Sapientia ducit manu. Cetera tacere mortalis iubeor.

Hæc vociferantis aspectum repentina mutaverat feritas. Emicabant scintillis oculi, visi ad alia, atque præsto tum erant, pertingere. Afflabatur imodico æstu facies: percitum & alienatum à se exasperabant horrentes capilli, os spumans, projecta in altum & in rigorem lapsa brachia, vox ultra humanam intensa. Concitabatur ad anhelitum, impulsus interiori numine, quod continere sinu non valebat.

Porro vociferatus: Felix Idomeneu, exclamat, quid video! quanta averfa discrimina! quàm iucunda pax domi! quæ foris pugna! quæ victoriæ! Gemit, o Telemache! resupina in pulveres hostilis ferocia impendente ferro tuo. Corruunt ad pedes tuos ærata portæ, vallaque non admittentia humanum vestigium. O Magna Diva, cuius Pater --- visurus es, o iuvenis --- Sic cœptam sententiam incidit insolitus stupor; visusque Theophanes tacere invitus.

Rigebat pavore universa concio. Idomeneus concussus metu non audebat monere, ut sacra verba vates absolveret. Ipse Telemachus motus rei insolentiâ, vix poterat aut intelligere quæ audierat;

aut credere se audisse ex oraculo tam sublimes fortes. Mentor unus ad Divinas voces intrepidus: Quid placeat Diis, rex (inquit) intelligis. Vinces, quæcunque gens inimica sit tibi; & per filium vices amici tui. Fac, istud tibi dolori ne sit. In rem tuam converte, per eum quod præstant Dii.

Nondum Idomeneus ex consternatione receperat animum; unde obtorpente lingua, frustra conabatur voluntatem respondendi verbò sequi. Contra Ithacus ex leviore perturbatione promptior Mentori respondit: Gloriam, quam insignem mihi cælum parat, non respicio. At quid verbum ultimum: Visurus es? -- Patrémne meum, an solam Ithacam? ah quid sermonis cursum intercepit silentium? Ita roboratur, quæ animum suspendit hæsitatio. Ulysses! Genitor! tu sis utinam, quem ego visurus sum! & utinam hoc voto, quæ futura sunt, velim! at blandior inutiliter affectui meo. Scilicet infelicem ludis, crudele oraculum, quem adiecta vocula in fortunæ posuisset sinu.

Increpabat hæc lamenta comes. Venerare, inquit, quæ tibi revelarunt Dii. Cetera, quæ condunt, cave velis perferutari. Meretur, sine consilio curiositas, in ruborem dari. Sapientissima pietas est Deorum, quòd mortalium fata premant tenebris, ex quibus nequeunt humano ingenio trahi. Utile est prævidere, quæ in nostra sunt potestate, ut ritè fiant & cum consilio. Sed neque minus utile est nescire nostris superiora viribus, & quæ de nobis omnipotentis Dyphtera decrevit.

Hæ Mentoris voces, auditæ cum assensu, tamen agrè querelas Telemachi compescuère. Ceterùm
discuf-

discusso pavore Idomeneus pro se laudes Iovis exordiebatur, qui Telemachum iuvenem, qui sapientissimum Mentorem ad obterendos hostes suos misisset. Igitur post rem Divinam exornatō lautissimo conviviō, versōque sermone ad utrumque hospitem :

Fateor, cū in Cretam eversā Troiā reverterer, regnandi præcepta me nondum calluisse. Ex tantæ imperio insulæ quæ fors me deiecerit, ignorare, amici, non potestis; quippe qui post meam fugam asseverastis vos contendisse in Cretam. Non tamen nihil fortunæ debeo, quòd portentosa vicissitudine erudierit incautum ad disciplinam prudentiæ. Transmittebam maria fugitivorum ritu, qui Deorum hominūque odiis perurgentur: idque demum impertiebatur mihi pristinæ dignitatis universus apparatus, ut ludibria vicis meæ molestiāsque auget. Fugam denique meam excepit hæc squallens ora, ubi Penates meos supplex exposui. Vacua erat agrestique cultu, septa, obductaque dumetis & vepribus. Horrebant sylvestria, ipsi telluri non inferiora seniō. Montosa præter ferarum agrè patiebantur vestigium. Eò res meæ devenerant, ut gratulari mihi debuerim, hæc inculta superesse terrarum, quæ obtinere cum exigua militum manu comitūque fuga possem, & habere secundam patriam. Quippe deinceps sperare non audebam aspectum beatæ insulæ, cuius in imperium Dii hanc mihi animam dederant. Miseram, aiebam mecum, Catastrophen! næ ego tragicum regibus exemplum. Dignus mehercle sum, in quem omnes intueantur, qui regnant, sceptro ut sapiant. Persuadent scilicet sibi, non existente, cui

pareant, non esse, quod metuant; cum tamen ipsum hoc sit, ob quod nihil metuere non debeant. Ecce! ego hostibus formidini, subditis charus fui. Dominabar genti non destitutæ viribus, non pugnandi, opus si erat, desiderio. Idomenei nomen remotissimi populi cum admiratione acceperant. Florebat ager imperii mei ad subsidium non vitæ modò sed etiam iucunditatis. Ærario urbes centum inferebant census, ex facultatè æstimosos opum. Salutabar Iovis nepos populis, in sua ipsorum patria, Creta, geniti; crescebatque erga me populorum communis amor, quòd Minoem habebam avum, quippe cuius legibus, quantum vigent valentque ipsi, debent. Ecquid tum deerat felicitati meæ, nisi eâ moderatè utendi prudentia? Sed fastu, sed assentationibus, quas amabam, excidi solio. Et verò vapulabit hac sorte, quisquis cupiditatibus animum & adulationi rex dederit. Ceterum de die numquam vultum demisi in tristitiam, sed lætus simulata fiducia, quo minùs frangerentur meorum animi: Agite, inquebam, ædificemus urbem, rerum omnium, quas amisimus, futuram solatium. Exempla, qui circum nos iacent, populorum commendant, quod decrevi cum animo. Videmus Tarentum in proximo, cui Phalantes cum Lacedæmoniis suis novum hoc regnum adiecit. Petiliam amplam urbem Philoctetes huic eidem oræ imposuit. Metapontidem quoque coloniam non ignoratis. Pigriores ergo erimus his & advenis & ritu fortis nostræ palantibus? non iniquior, non pertinacior nos fortuna premit.

Hoc remedium fociorum dolori adhibebam, dum occultum & pestiferum vulnus dolebam favire

vire

vire in animo. Solatio mihi erat, discussa cælo luce umbris liberiùs posse calamitosos gemitus impertiri. Somnum ex oculis non guttæ, sed duo imbres diluebant lacrimarum. Nihilominus novum semper ardorem postridie afferebam ad cœptum opus. Vides iam, Mentor, quid mihi in hac ora tam triste induxerit senium.

Expositis, quæ sibi acciderant mala, Idomeneus hospites rogat præsentis belli auxilium; utique, (quod adpromittebat rex) finitò eò, reducidos in Ithacam. Interea mittam, inquit, in disiunctissimas oras, qui certiora de Ulyssè colligant. Quocunque locorum, quos novimus, vel mare eum eiecerit vel irati Dii, potero rex sequi, ut referam. Atque utinam adhuc superstes sit! vos verò optimis navium, quas umquam Cretes condidère, referri curabo in patriam, iis videlicet, quibus materia adhibita, quam illustris ex Iovis partu Ida protulit, ruinæ ex undis & putredini resistentem. Sacra est à nascentis religione & tam procellis quam scopulis formidini ac reverentiæ. Furat Neptunus, æstuet; at numquam audebit in ea ligna concitatos fluctus immittere. Quamobrem vos securos velim, penitúsque certos, sine discrimine, sine molestia reversuros in Ithacam, neminèque ex cælestibus fore, qui in pristinos pelagi errores vos queat conicere. Et brevis & facilis eò hinc cursus est. Remissa Phœnicum nave, quæ vos in ora nostra exposuit; id unum nunc agite, ut quod paulo ante ego sum auspiciatus imperium, ultimam à vobis accipiat manum. Sic multiplicis calamitatis meæ feriem aliena, amicorum tamen, manus finiet: sic te dignum Ulyssè filium suspi-

ciemus,

ciemus, Telemache; quem etsi iam in Stygem inclemens fatum, transmiserit, in te amans tui Græcia sibi credet restitutum.

Hæc loquentem intercipiens Telemachus: Ita verò remittemus navem cum Phœnicibus. Quid moramur sumptis armis procedere in hostes tuos? tuos autem? imò nunc etiam nostros. Acesten Troianum, & infensum Græciæ victorem effecimus in Sicilia. Ergone plus nec præstabimus nec iuvabimur à Diis pugnantes pro illo ex Heroibus Græciæ, quorum manu data in ruinam Priami iniqua mœnia? utrumque nobis sponndit, quod audivimus, oraculum.

TELEMACHUS.

LIBER X.

IAm liberiori pugnae impetu Telemachus exarserat. At Mentor non acri, non perturbato vultu in eum intuens: Desiderio gloriae, inquit, quo cum laude impelleris, multum delector. Memineris tamen, parentem non nisi ob ingenii consiliorumque diviniorem præstantiam ante alios ad Troiam claruisse. Achilles quamquam non vinci, non vulnerari potuit, imò nec dubitare, se terrorem mortemque illaturum, quibus & ubi fecisset bellum; expugnare Troiam non valuit. Quid? quod ad murorum eius partem infimam cecidit; ipsumque Hectorem nobilitatum tot victoriis non excepit vivendi melior finis. Contra Ulysses, cuius fortitudinem moderabatur ratio, igne obarmatus ferròque penetravit se in medios cuneos